



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt II. Variæ sententiæ, earumque fundamenta, de memorata  
quaestione, & alia in Decretis expensa & composita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

1562. culis proferret, rem fusè affirmando agitarat, suasque rationes postea Patribus scripto exhibuerat: & nonnulli rebantur, non posse rectè fundari articulum, nimirum, Eucharistiam esse *propitiatorium sacrificium*, in eo argumento, quòd Christus fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, hoc est, panis ac vini, si relinqueretur ambiguum, an Christus unquam obtulisset *propitiatorium sacrificium* per panem ac vinum. Verùm cum Decreta Patrum conuentui sunt exposita, extemplò varix super ea controuersia sententiæ exortæ sunt; & sicut res in quæstionem vocatæ attentionem animi ad se fortius trahunt quàm manifestæ, quibus ingenium nihil de suo tribuit, nec potest partes maximè delectabiles inuentoris agere, complures studium ratiocinationemque ad hoc argumentum conuerterunt. Nec id mirum accidit; Natura quippe vel maximè propriam hominis in eo posuit affectionem Spei, quæ suum quoddam peculiare bonum in ipsa boni arduitate plurimum amat.

## C A P V T II.

*Varia sententiæ, earumque fundamenta, de memorata quæstione, & alia in Decretis expensa & composita.*

**S**Vper disputatione, de qua diximus, quatuor in classes Patres diuisi. In primam abiit Madruccius Cardinalis, & cum eo Petrus Antonius de Capuo Archiepiscopus Hydruntinus, Castanea, & alij complures, affirmantes, Christum pro nobis seipsum in Cœna sacrificasse, idque Scripturæ oraculis, Patrum testimoniis, auctoribusque Græcis ac Latinis confirmantes: & addebat Castanea, id etiam in libello *Interim* Germanici contineri. Ioannes Antonius Pantosa Episcopus Literarensis considerauit verbum à Christo ad Apostolos dictum, & in ipsis ad Sacerdotes: expensum quoque ad id ipsum à Melchiorre Cornelio, *Hoc facite*: quod verbum pro certo ponit rem quamdam omnino consimilem rei præceptæ, antea peractam, & postea indicatam, cum id importetur illo pronomine *hoc*. Iam verò Christus, aiebat ille, præcepit Apostolis, & in ipsis præcepit Sacerdotibus, non solum ut Eucharistiam acciperent, nec solum ut consecrarent, quod satis non erat ad illos Sacerdotes constituendos; sed ut offerrent sacrificarentque pro nobis & pro nostris peccatis. Igitur ipse in ea actione, quam nobis imitandam proposuit, obtulit sacrificium propitiatorium. Id confirmauit productâ S. Thomæ doctrinâ, quòd in extrema formæ prolatione fit simul à Sacerdotibus & consecratio & oblatio & sacrificium:



crificium: unde colligebat, id ipsum à Christo perfectum fuisse in illis verbis proferendis; aliter haberent illa efficaciam in nobis, quam non habuerant in Christo. 1562.

2 Eidem opinioni tam constanter adhæsit Bellaius Parisiensis Antistes, ut diceret, à S. Spiritu Patrum animos fuisse commotos ad illum articulum expendendum, qui erat fundamentum nostræ Religionis, & sacrificij à Christo oblato: è Cœnæ sacrificio initia traxisse sacrificium Crucis; ibi cœptam, hîc perfectam immolationem; sed utrumque sacrificium in eundem finem collimasse: eoque progressus est, ut affirmaret, dubitaturum se fuisse, an ipse hæreticus foret, si aliter sentiret. Quandoque humana mens suâ ipsius caligine adedò obnubitur, ut eam pro claritate habeat, assumpto quod dubium est pro certo; ut accidit vallium incolis, quibus non apparet nebula quâ obuoluuntur, satis illi perspecta, qui eminentibus è collibus eò visum dirigit.

3 Gaspar à Casalio Episcopus Leiriensis bis abundè hac de re verba fecit, intentus enodandæ difficultati potissimæ, quæ obiectabatur. Ea erat: Per hanc sententiam multum detrahi Crucis sacrificio, perinde quasi ante illud Seruator Patri humanæ salutis gratiâ se immolasset. Et in hanc sententiam locutus est: Christi oblationem fuisse vnicam respectu rei oblatae, sed modos offerendi fuisse multos ac varios. Etenim quemadmodum S. Thomas docet<sup>a</sup>, Redemptoris passio, quamuis vnica, multis processit passibus: vnus fuit Iudæ proditio, alius venditio, alius ipsius in Cœna ministerium, atque ita diuersa cruciamenta vsque ad mortem, per quam completa est: igitur Cœnam fuisse partem quamdam Christi cruciatuum. Porro sicuti antegressis promeritis dempta non est, quin potius aucta efficacitas per meritum Crucis; ita potuisse Christum Patri se offerre in Cœna, & sacrificium in Cruce perficere, eâ ratione quâ ipse suis reliquis operibus merendo vixit, & in Cruce merendo mortuus est.

<sup>a</sup> 3. part.  
q. 83. art. 5.  
ad 3.

Iacobus Gibertus de Noguera Episcopus Aliphanus dicebat, Satis esse ad hanc definitionem fundandam multorum Patrum auctoritatem, quandoquidem Synodus Ephesina ipsorum testimoniis, tamen eâ tempestate recentium, duas in Christo naturas cõprobarat.

4 Pro eadem sententiâ disputarunt Petrus à Monte Episcopus Lucrensis, Carolus Bouius Austunensis, Marcus Laureus Dominicanus Campaniensis, Franciscus Zamora, & Didacus Lainius, alter Minorum Observantium, alter Societatis Iesu supremus Moderator.



1562. De hoc postremo, quem Ordinis mei Fundator socium habuit, primūque in eo regendo successorem, quādam quasi filij pietas me cogit, ut hīc parumper subsistam, ad famam tam venerandi capituli à mendacibus Suavis maculis detergendam. Aduenerat antea<sup>b</sup> Lainius è Gallia, quò perrexit cum Estensi Legato, sicuti dictum est; cui multò prius iniunxerat Pontifex<sup>c</sup>, ut illum Tridentum mitteret; & ab eo responsum fuerat, id effectum iri. Etenim tamen Lainius ob eximias animi dotes copiosum Parisiis fructum ederet, quem pariter ubique locorum edidisset, tunc in Gallia manibus magis quàm linguā opus erat. Varia tamen quæ contingerant ad id vsque temporis, eius missionem Tridentum retardauerant. Et quidem à Pontifice<sup>d</sup> demandatum postremò fuerat Legatis, ut ipsum ad dicendum admitterent non solū tamquam supremum Ordinis Præsidentem, sed simul tamquam Pontificium Theologum, perinde ac ipse & Salmeron bis aliās in Synodo fecerant; atque ut humaniter illum haberent, quantum hominis doctrina, probitas & integritas merebantur. At verò Suavis dum de Lainij aduentu mentionem facit, narrat illum eò peruenisse 14. Augusti. Tres eiusdem Societatis conatos fuisse eum reliquis Religiosorum Ordinum summis Rectoribus præferre, postremo loco minimè contentum; & idcirco nequaquam recenseri in catalogis eorum, qui Concilio interuenere. Id planè mendaciorum summarium est. Initium à tenuiore ducamus. Eius aduentus non incidit in 14. Augusti; sed, si loquamur de die quo peruenit Tridentum, is fuit vigesimus tertius Iulij, ut vidimus<sup>e</sup>. Si de eius ingressu in conuentum, vigesimo primo Augusti, secundum ea quæ referunt Legati in scripto, quod mox proferemus. Pergamus ad solidiora mendacia. Publici Synodi catalogi Lainium connumerant inter Generales Religiosorum Præsides qui interfuere, ut liquet ex Synodo Antuerpiæ typis impressa apud Ioannem Stelsius anno 1564. hoc est planè post illius finem. Tam longè Lainius abfuit ab ultimo inter summos Moderatores gradu recusando, ut ipse illum petierit. Hoc ipsum alibi audiendum curauī<sup>f</sup> ex verbis Paleotti, ubi is suorum Actorum initio recenset ordinem, qui seruabatur tum in sedibus distribuendis, tum in dicendis sententiis. Sed quoniam pollicitus ibi sum magis cogentes à me probationes adductum iri, cum ad oppositam Suavis impugnationem peruenirem, par est ut promissa persoluam. Iraque aio, Legatos ipsos id fuisse testatos in legitimis tabulis, quibus & illi, & qui Concilio à secretis erat, subscribere Kalendar. Nouemb. an. 1562. quas exhibere cuiq; id cupienti paratus sum.

Ibi

<sup>b</sup> Peruenit  
23. Iulij, vt  
habetur ex  
epistola Mu-  
tinenfis ad  
Moronum.  
<sup>c</sup> Litteræ Le-  
gati Ferrar-  
ienfis ad  
Borromæum,  
11. Martij  
1562.  
<sup>d</sup> Litteræ  
Borromæi  
ad Legatos,  
11. Maij  
1562.

<sup>e</sup> Litteræ  
Mutinenfis  
allatæ.

<sup>f</sup> Lib. 15.  
cap. 15.



6 Ibi dicunt : Inaudiuisse se cum animi molestia vanum & iniquum rumorem, per varias prouincias diffusum, Lainium inuitis Patribus sese in conuentum intrusisse, simulq; fuisse conatum summis monasticorum Ordinum Præsulibus anteire. Vtrumque à vero longè abesse: ingressum illum fuisse ad ferendum iure suffragium in generali cætu, nemine obsistente, & potius optantibus Patribus, & iussu Pontificis, & pro eo quod ex veteri consuetudine debebatur supremis Religiosorum Ordinum Moderatoribus. Dubitatum fuisse de loco, qui à Magistro Carimoniarum ipsi tribuendus esset, nimirum, an infra reliquos generales Ordinum Moderatores, cum illius Ordo esset omnium nouissimus; an suprâ, quia esset Ordo Clericorum, qui Monachis præferuntur. Illum dumtaxat cupiisse, ut ipsius Ordo tamquam Ordo Clericorum agnosceretur: ceterum modestiæ, paciſq; studio animum præ se tulisse extremi subselli cupidum, & reipsa extremum locum petiisse. Sed à Legatis, cum alicuius anteaacti Concilij exemplum ipsis non suppeteret, quippe quod hic Regularium Clericorum Ordo, qui latissimè iam per Christianorum Ethnicorumq; prouincias cum uberrimo animarum fructu protendebatur, post vltimum Lateranense ortus fuisset, locum illi extra Ordinem seiunctum à reliquis Religiosis Præsulibus datum fuisse, quò ibi post illos absque Clericorum præiudicio sententiam diceret, quemadmodum dixerat per summam quietem ac modestiam ex die vigesimo primo Augusti, quo die primum ingressus fuerat.

7 Huiusmodi fuit publicum testimonium à Legatis redditum: qui pariter, cum ille peruenit, ad Borromæum scripsere, se censuisse præcipuum illi locum deberi, eiq; dandum curasse, sed restituisse reliquos Præsides Ordinum Regularium. Ad hæc verò rescriptum primò<sup>h</sup> fuit à Borromæo, Romæ expensum in quid esset agendum, quod ipsis postea significaretur; sed interim quietem partium prudenter ipsi curarent: tum additum est, Certò rescuiſſe Pontificem, à Lainio quemcumque gradum, qui sibi tribueretur, acceptum iri, & insuper non mediocri voluptate audiuisse Pontificem, à Legatis destinatum Lainio fuisse locum seiunctum, cunctis acquiescentibus. Profectò Lainij nomen, perinde ac aliorum complurium, gratiam Suauis debet. Etenim ipsius calumniæ sunt in causa, ut à me sine affectatione scribantur, & à meis lectoribus sine tædio legantur res ab illis cum laude gestæ; quæ cum per se priuata sint, ac minuta, locum in historiæ theatro non ad pompam, sed solùm ad defensionem merentur.

8 Lainius itaque in quæstione proposita hoc pacto differebat: Eam esse tantùm de facto, adeoque non ex rationibus, sed ex testimoniis dumtaxat ferendum iudicium. Cum igitur<sup>i</sup> supra quadraginta

O 2

Patres,

<sup>g</sup> In epistola, 10. Augusti 1562.

<sup>h</sup> Litteræ Borromæi ad Legatos, 20. Aug. & 1. Septembris 1562.

<sup>i</sup> Acta Paleotti, & archicæ Eliæ.



1562.

Patres, tum Latini tum Græci, & tum recentes tum veteres, atque eorum complures Christi ætati propinqui, ac proinde historiam probè callentes, affirmant, illum pro nobis seipsum in Cœna sacrificasse, ipforum dictis habendam fidem. Exemplum Melchisedech, & sacrificij ab eo oblato, non fuisse completum reipsa à Christo in Cruce. Igitur, in Cœna, ea verba, *Hoc facite*, intelligi à S. Leone in sermone septimo de Cœna Domini, & ab aliis Doctoribus, vt illud idem fiat quod fecit Christus: & tamen si Christus in Cœna non sacrificasset, Ecclesia dum in Eucharistia consecranda sacrificat, faceret id quod ipse non fecit. Ostendit præterea, in eiusmodi Christi sacrificio vim expiandi fuisse; primò, quoniam Euangelij verba, per quæ legimus, affirmari à Christo suum sanguinem pro nobis effusum iri, in Græco Euangelio simul significant tempus præsens, & sonant, *Pro vobis effunditur*; quod verum esse non poterat, si ea Christi oblatio ad expiationem peccatorum pro salute hominum non fuisset. Secundò, quia si reliqui Sacerdotes, vt dicit Paulus ad Hebræos, offerunt pro peccatis, multò magis id fecit Christus in eo ipso sacrificio, quod inferioribus Sacerdotibus reliquit; idque similiter confirmavit multorum Patrum testimonio, enumeravitque simul varia discrimina inter Cœnæ & Crucis sacrificia. Denique perpendit, ab Apostolo adscribi vniuersè elationem Christi, præmiumque ipsi traditum, obedientiæ merito; adeoque cum Christus obedierit non solum in morte, sed etiam in cunctis suis operibus; cumque eius elatio, præmiumque ipsi traditum fuerit nostra salus, arguit quodcumque Christi opus nobis salutare fuisse, tametsi cuncta Passioni tamquam actui postremo tribuantur.

Fuerunt in secunda classe Archiepiscopi Granatensis, Bracaren-<sup>9</sup>sis, & Lancianensis, qui opinabantur, Redemptorem in Cœna sacrificasse quidem, sed sacrificium merè Eucharisticum, hoc est laudis & gratiarum actionis, non satisfactionis & expiationis, veriti, ne aliter derogaretur Crucis sacrificio; neque pariter declarabant, illic seipsum obtulisse.

His accessit Albertus Duinius Veglensis Antistes, qui duas in Christo rationes oblationis distinxit, alteram vniuersalem, & ab ipso adhibitam in cunctis vitæ suæ operibus; alteram peculiarem, ob remissionem nostrorum peccatorum, & non habitam ante Crucem. Studuit sententiam suam corroborare auctoritate sancti Thomæ<sup>k</sup>, & apertius Oecumenij dicto, quod productum fuerat ab Hosio in capite quinquagesimo tertio suæ vulgatæ confessionis.

Idem

<sup>k</sup> 3. par. q. 47.  
art. 9. &  
q. 73. art. 5.



Idem sentiebat Fufcararius, obseruans, sacrificium Eucharisticum, quod meras laudes gratiarumque actionem complectitur, esse suapte naturâ nobilissimum, cum sit holocaustum quoddam, quod totum ad adorationem Dei refertur; quamcumque guttulam sanguinis Christi redimendis hominibus satis fuisse, sed iustitiam Diuinam imperasse, *vt mors morte tolleretur*, quemadmodum concinit Ecclesia. Huic sententiæ non solum Oecumenium adstipulari, sed videri sibi, posse iureiurando se affirmare, illi adhærere pariter Augustinum.

Andreas Moccenigus Episcopus Nimosiensis aiebat, certum esse, sacrificium Cœnæ, itidem ac cuncta reliqua Christi opera, fuisse nobis propitiabile; sed à Christo non nisi per Crucem nostrarum noxarum remissionem obtentam fuisse: ibi victoriam integram reportatam; antea multarum arcium, vt ita dicatur, adeptionem habitam. Quare si post Cœnam, & ante Crucem aliquis ex Apostolis obiisset, nondum apertum in cælum aditum nactus esset.

Eadem opinio pro certa habebatur à Didaco de Leon Augustiniano, Episcopo Conimbricensi.

10 Tertia classis in doctrina ponendum censebat, Christum se Patri obtulisse in Cœna, sed minimè dicendum, hac illàve ratione id peractum. Cum enim id in quæstione versaretur, nec vllum euidens Scripturæ oraculum vrgeret, Canonem aut Decretum de eo confiendum non esse, nisi certè prius id à minoribus Theologis solerti operâ fuisset expensum. Huiusmodi erat consilium Naclantis ac Drascouizij; & complures ex asseclis secundæ sententiæ postea huic assenserunt.

11 Quarta classis ex iis Patribus constabatur, qui duas partes studebant opinamento medio concordare; idcirco ea in multas partes abibat, cum exprimeret vnusquisque quid ipse sentiret, nec nisi seipsum auctorem haberet: eâ ratione, quâ quis non nisi sui ipsius assecla esse vult. Inter hos fuere, qui secundam opinionem defenderant: sed si singulorum sensa recenserem, plus tædij quàm utilitatis afferrem.

12 Res tandem hunc exitum tulit. Cum initio complures repugnarent declarationi huiusce oblatis, quo hîc se Christus quocumque modo obtulisset, postremò contigit aduersus quàm euenire solet in subtilioribus disputationibus, in quibus sui quisque ingenij conceptus amans, in propugnata sententia inhæret firmius. Et enim ferè omnes in primam sententiam abiere, etiam qui acerrimè illi restiterant.

Litteræ Iadrensis,  
24. Augusti  
1562.



1562. Alia capita sunt agitata, ac præcipuè, An essent celebrandæ Missæ linguis vulgaribus. Fuit qui dixit, Perniciosam haud sibi videri Dalmatiæ consuetudinem, vbi post lectionem Euangelij Latini, idem legitur idiomate Dalmatico, ad populi eruditionem. Omnibus tamen probata est interdictio celebrandi Missam vulgari sermone. Quin Episcopus Nimosiensis retulit, in sua Diocesi ab hæreticis, cum plurima Ecclesiæ bona occupassent, eorum restitutionem oblatam fuisse cum certis quibusdam pactionibus, præsertim verò cum hac conditione; sed rem fuisse reiectam.

Adum quoque in transcurso, An Decretis doctrinæ par Canonibus auctoritas esset tribuenda. Aduersabantur Fufcararius & Blancus, aientes, suos in hisce rebus gradus esse; sufficere, si oppugnatoribus inureretur temeritatis & scandali nota, non item hæreseos. Oppositum suadebat Hosius Reatinus Antistes: sed de hoc maturum plenumque consilium non est habitum.

Blanco denique non probabatur, quòd ad Canones apponeretur tamquam Fidei dogma, à Christo collatum fuisse Sacerdotij ordinem Apostolis per ea verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Consueuisse Concilia veritatem declarare, non interpretationes præscribere, productis sacrarum Litterarum, aut sanctorum Patrum testimoniis.

Hæc potissimum in propositis Decretis & Canonibus obseruata sunt: conuentumque est, vt arctarentur, ac limarentur, adhibitâ curâ tum ponendi quæ cunctis placerent, tum auferendi quæ alicui displicerent. Cum aptum in conuentibus adiumentum sit, vt plerique singulis morem gerant in rebus minutioribus omittendis, quò singuli plerosque sequantur in præcipuis sanctionibus statuendis.

## C A P V T III.

*Proposita, postulantibus Casarianis, concessio Calicis cætui generali.  
Rationes ab ipsis allatæ.*

**N**ondum absolutus erat sermo de Seruatoris sacrificio in Cœna, cum in eodem conuentu datus est aditus alteri quæstioni magis salebrosæ, quamuis minùs subtili. Acerrimè urgebant Casariani, vt Ferdinandi petitio pro vsu Calicis proponeretur. Quare Legati rem diutiùs haud protraxerunt. Et quamquam antea Borromæus ipsis significasset<sup>a</sup>, ad faciliorem concessionem reddendam, profuturam forsitan fuisse limitationem transactionis ad solam Bohemiam, vbi persistebat vetus ac præcipua repu-

<sup>a</sup> Apparet ex epistola Legatorum ad Borromæum, 20. Augusti 1562.